

Q. B. B. F.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
APOPLEXIA,

QVAM
DEO T. O. M. DVCE ET AVSPICE
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,
DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S.
BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS
ET IN FRANCKERODA AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT.
THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

AVTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS
MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA,
SVB PRÆSIDIO

DN. D. IVONIS JOANNIS STAHLII,
EMINENTISS. ET SERENISS. ELECT. MOG. CONSIL. ET ARCHIATR. ANATOM.
CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD.
N. N. CIVITAT. ERFORD. CONSVL.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI.

PRO GRADV DOCTORIS
UNA CVM PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS HVIC
DIGNITATI ANNEXIS, LEGITIME OBTI-
NENDO,

PVBLICÆ ERFDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS

GEORGIVS HEINRICI,

Lignicensis Silesius,
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XIII. SEPTEMBRIS, M DCC XXIX.

ERFORDIÆ, Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

hol. spec.

10, 32

11076 pro 537

V I R O

PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE EX-
PERIENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOH. EHRENERIED
SCHLENCKERO,

MEDICINÆ DOCTORI LONGE CELEBERRIMO
ET PRACTICO APVD LIGNICENSES
FELICISSIMO,

PATRONO ET FAVTORI SVO

OMNI HONORIS CVLTV DEVENERANDO,

DISSERTATIONEM ISTAM INAVGVRALEM

DE APOPLEXIA

OMNI CVM REVERENTIA ET OBSERVANTIA

VOTOQVE

OMNIGENÆ PROSPERITATIS

DAT,

DICAT,

DEDICAT

A V T O R.



PROŒMIUM.



Orpus nostrum humanum ex sua natura ita corruptibile, vel ad corruptionem pronissimum existere, nec non variis externis corruptelam augentibus occasionibus expositum esse, omnibus sinè dubio, qui Arti salutari animum suum consecrârunt, ex quotidiana experientia satis superquè notum est. Mixtio enim animalis ita comparata est, ut propter principia materialia facillimè resolvi, diffluere & in putredinem citò abire possit, quamprimum ipsi vitalis motus & conservatorius Actus per Principium quoddam rationale institutus & corpori nostro summè necessarius deficit.

A 2

Et

Et hæc est ratio atque conditio Generis humani, quòd dum in lucem suscepti sumus, morbis subjici, atque mori incipiamus, & vitæ terminus, quem interdum longiùs proferre cogitamus, ab origine pendeat, ac eam ipsam subinde horam, in qua vivere incipimus, dividere cum morte cogamur. Quod, cùm ita res se habeat, & corpus nostrum humanum variis & fere innumerabilibus expositum sit morbis, sic tamen inter omnes morbos, qui Hominibus intentum minantur, nullus gravior, nullus periculosior, nullus funestior Apoplexiâ, qua correpti, sæpius momentò citiùs enecantur; Et adeo communis est, ut nulla Regio, nulla ætas, nullus sexus, nullum temperamentum, nullumque vitæ genus ab illa immune sit, unde non solum frequentissimum, sed & universalissimum malum est, quo maxima Hominum pars moritur. Cùm itaque nobis incumbat, ut inaugurali aliquo specimine utilem practicam Tractationem ventilemus, placuit nobis pro præsentì *Apoplexiam* eligere & illam explicare, quantum temporis & aliarum circumstantiarum ratio permittit: Invocamus itaque

que

què Deum T. O. M. tanquam verum *Fontem* perennem, *Autorem & Conservatorem*, omnis boni atque salutaris Ordinis, ut cœptum hoc nostrum, atque omnia conata nostra in Ejus Gloriam, & in solatium ægrorum vergant atque pertingant.

§. I.

DUm nobis in præsentī animus est, Morbum in Praxi semper occurrentem nempe Apoplexiam explicare, ante omnia, ne contra Regulas Disputantium peccasse, sed potius Methodum hætenus receptam observasse videamur, sic Dissertationem nostram à genuina vocum Origine & ortu auspicamur, Etymologiam annotando.

§. II.

Apoplexia quid sit, & unde denominationem & derivationem suam capiat, paucissimis de origine & ortu hujus vocis mentionem facimus: sciendum itaque, quòd Apoplexia ex græcis verbis ἀπὸ τῆ ἀποπλήξιν componatur, quòd graviter & potenter percutere, sicuti πλήσσω sive πλήξω, percutere, frangere, terrere denotat, sic etiam satis gravis & vehemens corporis percussio in Apoplexia manifestat, ut ægri repente ac subito quasi attoniti sinè motu voluntario, & sensu, ac rationis exercitio, superstite solùm pulsū ac respiratione decidant: Hinc etiam vocabulum πλῆγη plagam sive ictum, & ἀποπληκτικός illum, qui Apoplexiâ correptus, significat. A Græcis ἀποπληξία, Latinis, *Morbus attonitus, attonitus stu-*

por, seu attonita concidentia, nempe quòd malo hoc correpti attonitorum instar decumbant, & neque sensu neque motione notas vitæ præ se ferant. *Sideratio* teste *Actio. Tetrab. 2. Serm. 2. Cap. 29. Celso Libr. III. cap. 26.* & quidem ex hac ratione, quia veteres credebant fulgur esse sidus, cum verò Apoplectici repente ac subito decidant, ac fulmine tacti, siderati quasi sidere sive fulmine icti, apoplectici nominati sunt, morbus verò ipse *Sideratio* vocatur. *Percussio, universalis corporis, Paralysis, Aphonia* seu vocis defectus, *obstupescencia, Gutta*, quia à nonnullis creditum, sanguinis guttam è Capite ad cor delabi, idque suffocare, teste *Paracelso*: morbus *magnus*, quia magnitudine sua, acutie, periculoque cæteros antecellitâ Germanis, *der Schlag, Gewalt oder Hand Gottes, der Tropff, die Nührung*, salutatur. Et dum homines Apoplexiâ corripuntur, & cum repente moriantur, sicuti sæpius id fieri solet, dicunt: *Der Schlag oder die Hand Gottes hat ihn gerühret.*

§. III.

Ne autem nominalis tantum, sed realis quoque Affectus nostri definitio innotescat, ad hanc ulterius progredimur, & asserimus, quòd Apoplexia sit talis præceps seu repentina ablatio sive abolitio sensûs & motûs in toto corpore, ut eâdem laborantes subito quasi attoniti decidant, & simul semelque omnem rerum usum amittant, vel, quando adhuc aliqua signa auditûs & visûs præsto sunt, motuum tamen voluntariorum plenâ impotentiâ laborant, modo à sanguinis, vel saltem feri, pituita circa principium nervorum extravasatione

satione, stagnatione modo à vasorum infarctu & obstructione ibidem originem trahens.

§. IV.

Distinguitur hic noster Affectus à Practicis respectu Gradus: Quorum alii statuunt duos, alii tres, alii quatuor cum Hippocrate, quem plurimi sequuntur. Primus gradus est, quando somnus quasi profundus, Pulsus cordis & Arteriarum adhuc observatur, & rubor Genarum conspicuus manet, & nulla Paralysis subsequitur & respiratio satis libera est. Secundus gradus est, quando omnia jam dicta symptomata graviora sunt, quàm in primo, respiratio difficilis observatur, & in toto corpore nullus vigor, sed torpor & flacciditas sese manifestant, & sæpius in Paralyfin desinit. Tertius gradus est periculosissimus, ubi respiratio quidem adhuc præsto est, sed cum maxima molestia peragitur, cui stertor atque spuma ante os connectitur. Quartus gradus est Apoplexiæ, ubi motus vitalis & sensus planè sublatus est, & repentina mors inducitur.

§. V.

Alia verò adhuc differentia notanda occurrit inter affectum nostrum, & syncopen; In syncope enim motus & sensus cessat, oculi sunt clausi vel saltem torpidi, facies pallet, respiratio lenis admodum observatur; Pulsus est satis debilis, plane tamen non cessat, uti in Apoplexia vehementiori, extrema sunt frigida. Porro differt Apoplexia à Lethargo, & quidem in eo, quia in Lethargo somnus profundus quidem, nullus autem stertor adest, & quando punguntur sive tanguntur, à somno paululum excitantur, adest etiam sæpe febris.

In

In Apoplexia graviore autem respiratio cum stertore præsto est: Patientes etiam à somno excitari non possunt. A Caro, ubi sopor profundus sine febre deprehenditur, in quo ægri excitati & interrogati non respondent, puncti tamen sentiunt, & membra movent, respiratio quoque libera est, quod in Apoplexia graviore minimè fieri solet. A Catalepsi, ubi correpti rigidi, in eo quo prehensi fuerunt statu, statuæ instar permanent, in apoplexia autem minimè gentium. Ab uteri suffocatione, ubi Patientes sensuum internorum & externorum usum aliquo modo retinent, cum constrictione gulæ, dolore cordis compressivo &c. A Catarrho suffocativo, in quo ferme plenaria abolitio respirationis naturalis ut plurimum in subjectis occurrit, sensus autem & motus integri manent, quod in apoplexia longè aliter se habet. A Paralyssi, in qua vel totum corpus, excepto capite, vel hæc vixilla Pars occupatur, in apoplexia autem totali totum corpus cum capite affligitur. Insuper Apoplexia in sanguineam & serosam dividitur.

§. VI.

De subjectis si quæstio instituat, quænam præ aliis facilius, & quasi positivè huic affectui obnoxia existant, facilis erit responsio: omnia illa, quæ in juventute sua hæmorrhagias narium experta sunt, jam autem emanerunt, facile Apoplexiâ corripitur, teste *Hildano Cent. 3. Obs. II.* qui exemplum hominis plethorici atque robusti in conspectum ponit, qui in Juventute sua hæmorrhagiam narium expertus fuit, ex metu vero sinistrae vel malæ cujusdam consecutionis, illam amuletum de collo suspenso suppressit, subsequente post aliquod

tem-

tempus Apoplexia. Sic etiam illa, quorum hæmorrhoides vel sponte cessarunt, vel suppressæ sunt; Exemplum enarrat *Lancisius* de Equite quodam à multis annis hæmorrhoidibus obnoxio, cui, cùm circa quinquagesimum annum hic fluxus subsisteret, gravativi dolores circa tempus sinistrum primo exorti fuerunt, postea subito quà apoplecticus cecidit. Dum demum ab insultibus hujus morbi bis tervè liberatus esset, & interea tristem, timidam, obliviosam, planequè infelicem vitam pene per annum traxisset, fortissimâ tandem apoplexiâ periit. Porro illæ Fœminæ suppresso fluxu menstruo laborantes, in apoplexiam præcipitari solent, teste *Zacuto Lusitano Prax. admin. lib. 1. observ. 38.* qui casum de fœmina quadam refert, quæ ex suppressione mensium apoplexiâ correpta fuit, ut & *A. N. C. Dec. 2. An. V. observ. 225.* recensent Apoplexiam ex mensibus diu suppressis. Et *Hildanus Cent. 3. obs. 12.* exemplum enarrat de muliere quadam admodum plethorica, & doloribus capitis aliisque sæpiùs obnoxia, quæ sanguinem menstruum sæpius per os & nares excrevit, & deinde suppressa hac excretionem, apoplexia lethali correpta fuit. Quòd à menstrui, idem etiam à lochiorum suppressione accidere posse, exemplò declarat *Ballonius in paradigm. p. 318.* sequentem enarrans historiam: *Comitis de Maulerier uxor, cùm uterum gereret, casu est læsa ad regionem lumborum, ferunt non attigisse partus tempus legitimum. Peperit; omnia satis ex voto. Pleuritis accessit. Secatur vena sæpius lochia supprimuntur, apoplexia subsequitur.* Porro, hominis adfectibus animi gravioribus præcipuè iracundiæ expòsi, apoplexiâ in-

B festan-

festantur, de quibus Riedlin. in *Cur. Medic.* exemplum refert, de Mercatoris cujusdam Uxore, quòd ab ira apoplexiam levem reportaverit, tremuerit cum affectui huic perverso indulfisset, toto corpore, & in lectum se prosternere opus habuerit, dextramque corporis partem movere ulterius non potuerit, ac nec pes, nec manus, ut paulo ante, muneri suo præfuerint. Et *Joh. Mich.* recenset de Pastore, tempore hyemali inter concionandum ira accenso, qui primo horrore, post vertigine correptus, loquelam, ut & omnes sensus internos atque externos amisisset, ita, ut eum de suggestu deportare, necesse habuissent Auditores. Et *Forestus* scribit: *Multas conspeximus, tam Viros quàm mulieres, ex Ira vehementiore, & animi percussione, in apoplexiam incurrisse.* Quid terror valeat in Apoplexiæ productione, testatur *Hildanus Cent. 6. obs. 12.* de foemina quadam apoplexiâ mortua, postquam literas accepisset, filium suum, quem unicè amabat, obiisse. Videmus itaque, per iracundiam insignem, tantum sanguinis motum excitari posse, ut etiam vasa sanguifera inde rumpantur & dehiscantur. Tandem illi senes, qui ex vana *Helmontii* Doctrina evacuationes antea consuetas, Venæsectiones scilicet, & scarificationes intermittunt, dicendo: *Ich werde nunmehr alt, ich muß allbereit das gewöhnliche Uderlassen und Schröpfen einstellen, ich solte wohl eher das Blut in Leib fauffen, als weglassen &c.* non attendentes, quòd ob neglectas has consuetas, diutiùsque continuatas evacuationes, sanguinem plùs justò adaugeant, naturæque in dispensando & per corpus distribuendo, consumendoque maximas creent molestias, ut hinc sæpiùs
deviare,

deviare, locaque incongrua, ubi se exoneret, quærere
 necesse habeat. Quapropter, cùm senes ut plurimum
 per se à laboribus & motionibus abstineant, vitamquè
 agant tranquillam, otiosam & à curis vacuam, inte-
 rim pleno utantur victu, usus potius & continuatio ha-
 rum evacuationum suaderi debent, remonstrando:
 Eben weil sie alt werden, sollen sie das Aderlassen und
 Schröpfen continuiren, um die Natur in guter Ord-
 nung zu erhalten; ne copia sanguinis & humorum,
 animam in functionibus & negotiis expediendis an-
 xiam & confusam reddat, & ad erroneos motus susci-
 piendos invitet, aut necessitet. Exemplum Excellen-
 tissimus Dominus D. Baierus his verbis suppeditavit.
*Reverendus quidam Parochus, septuagenario major, hæmor-
 rhoidum fluxu jam antea tentatus, eodem non ritè succeden-
 te, dolorem coxæ vehementem ac diuturnum perpessus, inde
 per sanguinis missionem in pede lateris affecti, & medica-
 menta congrua liberatus, redeunte incertis quidem interval-
 lis profluvio isto, bene se habuit per aliquot annos, repetitis
 circa æquinoctia phobotomiis & purgationibus. Cùm vero
 ante biennium, in autumno, sanguinem mittere, vano senectu-
 tis metu, neglexisset, circa brumam subitò apoplexiâ & dex-
 tri lateris paralyfi correptus est. In auxilium vocatus ego
 statim è brachio sinistro mittendum sanguinem institui, sed
 propter ipsius crassitudinem vix pauca effluxerunt gutta.
 Manum igitur aquæ præcalidæ, & quam eger, si sensum ha-
 buisset, difficulter omnino tolerasset, imponendam curavi, un-
 de incisa Vena salvatella sanguis quidem liberaliter prodiit,
 sed adeo spissus, ut inter effluendum, in ipsa aqua tam calida
 statim coagularetur, spermatis raurarum instar, & tenaciter*

*concretus in altum attrahi potuerit: servatus tamen & superstes adhuc est, nulloque resolutionis membrorum vestigio relicto fungitur suo munere, jam sex supra septuaginta annos natus. Nuper autem, in hæmorrhoidum vicem superveniente mictu cruento laborare cepit, quem applicatis ad anum hirudinibus & interna medicina sufflaminari aut certè immi-
nui posse, non inanis hæctenus spes fuit.*

§. VII.

Subiectum speciale, sive Pars affecta est cerebrum non autem, ut alii statuunt, ventriculi cerebri ab humore quodam viscido obstructi. Verùm enim verò, inveniuntur individua, hydrocephalo laborantia, ubi cerebri ventriculi humoribus sunt repleti, & tamen nulla prorsus apoplexia exinde orta est. Et quotidiana experientia anatomica satis superquè docet, in multis hoc morbo defunctis, nullam obstructionem in cerebri ventriculis esse repertam, nec humores, qui talem effectum producere potuissent. Nos autem statuimus originem & principium generale nervorum in cerebro partem affectam: quod inde facilè cognoscitur, quia omnes actiones cerebro aliàs competentes, læsæ aut prorsus abolitæ sunt.

§. VIII.

Consideratio Apoplexiæ subiectis tam generalibus quàm specialibus signorum doctrinam aggredimur, quæ vel Diagnostica pathognomonica vel Prognostica sunt: Diagnostica aut imminentem aut præsentem apoplexiam indicant: Imminentis signa sunt sæpe nulla, aliquando Capitis dolor subitò adveniens, verti-
go,

go,

go, tinnitus aurium & susurri repentini, mentis obnubilationes, ingens partium lassitudo aut stupor, somnolentia, incubus, stridor dentium in somno, feri effluxus ex ore etiam in somno, dolor dorsi, extremarum partium, totiusque corporis frigus, linguæ balbuties, memoriæ jactura &c. quæ omnia significant apoplexiam in procinctu adesse: Inde Hippocr. tit. II. coacar. prænot. CLXI. ait: *qui capitis doloribus & aurium tinnitibus citra febrem aut tenebricosa vertigine & vocis tarditate manuumque stupore tentantur, in iis aut apoplexiam aut morbum comitiale aut etiam oblivionem sperare convenit.* Et Titul. XXIV. prænot. CCCCLXXVI. inquit: *Torpores & stupores præter consuetudinem evenientes ad futuram apoplexiam prænuntiant.* Signa autem Præsentis affectus cognoscuntur, quando homines eâ correpti sensu ac motu privantur & quasi mortui jacent, stertunt & difficulter spirant, Pulsus naturalis subinde durus & inæqualis, vasa circa tempora inflata, urina ut plurimum crassa, modica, palaris, ac veluti æruginosa, hypostasin farinæ similem habens; Oculi semi-aperti & vitrei cernuntur, cum pupilla dilatata, color faciei ut plurimum quasi naturalis est, in apoplexia autem sanguinea rubet, oculorum venæ tument, & quidem fieri id solet, quando Venæsectiones consuetæ, diutius quàm par est, intermittuntur. Quæ signa recensita communiter in omni apoplexia forti præsertim, concurrere solent, ex quibus certò judicari potest, hominem tali malo esse correptum.

§. IX.

Tempus est, ut progrediamur ad signa prognostica, si quid enim est, quod Medicum magis admirabilem reddat in Praxi, est Prognosis; Hæc enim, teste *Botallo de Medici & ægri munere §. 22.* omnibus præstat. *Apoplexia est affectus acutissimus & periculosissimus, qui pro varietate Gradûs curam tantummodo admittit.* Hinc etiam *Magnus noster Cous aphorism. 42. Sect. 2. de Apoplexia* format tale Prognosticon, *solvere ait apoplexiam fortem impossibile (intellige non strictè, nec simpliciter, sed ut plurimum est impossibile) debilem non facilè.* Et *Aphorism. 51. Sect. 2.* inquit: *Qui valentes Capitis dolore repente corripuntur, & protinus muti fiunt, ac stertunt, intra 7. dies intereunt (apoplexia nempe) nisi febris eos prehenderit.* Item *Aphorism. 43. Sect. 2.* ait: *strangulati & suffocati, non tamen mortui, ad se non redeunt, quorum circa os spuma collecta apparet, intellige hanc spumam veram ex pectore originem & ortum trahens & sensim sensimque sursum trahitur, & infallibile signum circuitus sanguinis per pulmones impediti, ex quo per reciprocationem & motum validum pulmonum, humiditas eorum naturalis, vel serum sanguinis in Vesiculas & bronchia exprimitur, sursumque cum aère mistum, propellitur.* Item *Tulpius lib. 1. observ. 15.* asperam arteriam semper spumoso sanguine referatam, in cadaveribus apoplexiâ mortuis, se reperiisse, refert: Sed probè distinguenda est spuma è pulmonibus extrusa à saliva, etiam criticè in quibusdam per

OS

os fluente: Idem periculum insuper adhuc augetur, si resolutio sphincteris ani & vesicæ, & similia totalem œconomiaë animalis, etiam intrinsecam destructionem indicantia accedunt.

§. X.

Cùm in præcedentibus jam breviter de signis tam diagnosticis quam prognosticis egerimus, sequitur ut etiam causas examinemus, quorum cognitio Medicis maximè necessaria est, eas enim si sciant, feliciter remedia morbo & causis iisdem adversantia exhibere possunt, ut adeò non malè pronuntiet Doct. *Fernel. Lib. 1. Pathol. c. 11. Morbi absque causarum cognitione nec præcaveri, nec feliciter curari queunt.* Progre- dimur itaque hic methodicè, percurramusquè has eo ordine, illasque in causas proximas & immediatas, vel remotas & mediatas distinguendo.

§. XI.

Causa proxima est sanguinis vel feri circa princi- pium nervosum generale vel extravasatio vel stagna- tio. Natura enim multas vias secretoriis & excreto- riis motibus quærit, sanguinis abundantiam evacua- re, cùm verò illa in his suis motibus sæpius ita com- parata sit, ut non solùm errare queat, sed etiam re- verà quandoquæ erret, quando principium vitale no- strum præ nimio amore erga corpus suum præsentem aliqua materia morbifica anxium redditum, omnem movere lapidem videtur, vehementissimosque motus
exci-

excitat, humores hinc inde variè & cum impetu agit, & ut plurimum ad caput dirigit, quid miri? si mala confectaria introducuntur, capiti.

§. XII.

Causæ mediatae proximiores sunt illæ omnes, causam immediatam inferentes, & quæ sanguinis circulum atque lymphæ in cerebro impedire possunt. Sunt illæ vel internæ vel externæ. Inter internas referendæ sunt, humores sanguinei serosi, viscosi, acido-austeri, qui cerebrum & nervos obstruunt, & principium spinalis medullæ comprimunt. Uti *Rolfinccius in Dissert. anatom.* scribit: se post obitum, à pituitosis humoribus, supra spinalis medullæ principium, ejusque caudices collectis, idem subortum ferale symptoma, bis observasse.

§. XIII.

Inter causas externas referimus fortes cerebri vulnerationes & contusiones, e. gr. per casum ab alto; ejusmodi exemplum in conspectum ponit *HORSTIVS lib. 2. observ. 13.* ab alapa inflictâ apoplexiam esse inductam. Evacuationes consuetæ artificiales suppressæ, scilicet Venæ sectiones & scarificationes circa æquinoctia, vehemens ira, lucubrationes, vapores narcotici, & alii, qui cerebri humores incalescant & sanguinem coagulant, motumque suum turbant, obstruunt vel comprimunt, viam nervorum generalem & apoplexiam hac ratione excitare possunt.

§. XIV.

§. XIV.

Quod curationem hujus mali attinet, instituen-
da erit duplici modo, nempe alia in paroxysmo,
alia extra paroxysmum. In paroxysmo apoplexiæ
sanguineæ nullum nobilius atque præstantius auxi-
lium erit, quàm venæ sectio: Ratio, cur tantam uti-
litem venæ sectio præstat, facile cognoscere possu-
mus: Sanguis enim, qui in cerebro stagnat, & illud
mole sua aggravat, evacuatur, obstructions solvun-
tur, coagulatio impeditur, paucis circulus sanguinis
totus facilitatur. Deinde inunctio ad nares, penna
intincta in oleo succini, & affricta, mira facit; item
ad verticem, futuram coronalem, tempora & nu-
cham, ex balsamo apoplect. Oleo rut. succini &c.
Præterea frictions in pedibus & manibus cum sco-
pis setaceis, sale communi &c. non omittantur.
Volatilia, roborantia, cephal. & sale volat. oleof.
fœta, v. g. spiritus salis armon. volat. urinos. eff.
castor. liqu. corn. cerv. succin. olea destillat. cary-
oph. cinam. rosmar. lavend. tam in paroxysmo, quàm
extra eundem usurpari queunt, in & extrinsecè pro
differentia apoplexiæ. Porro intrinsecùs exhibenda
sunt vires deficientes instaurantia & coagulationes,
extravasationes humorum resolventia, e. g. aq. apo-
plect. cum spir. ceras. nig. & essent. rorism. vel spir.
sal. armoniac. c. c. fulig. vel aur. potab. vel sal. volat.
oleof. &c. Etiam non inutiles sunt cucuphæ capiti im-
positæ, quæ vires reficiunt, nervos roborant, hu-
C mores

mores discutiunt, & obstructions aperiunt. Item
 conducit haustus vini boni & generosi refocillandi &
 resolvendi fine, aut potio analeptica, v. g. aqua scord.
 sambuc. card. bened. carbunc. cent. min. lib. convall.
 cerass. nigr. cinamomi &c. Præservatoriè commen-
 damus laxationes ex rhabarbaro, vel extractis amaris
 resolventibus pimp. alb. Gent. rubr. Vincetox. ab-
 synth. Helen. Cent. min. Cand. bened. fumar. Coch-
 lear. Gumat. &c. præcipuè conducunt venæsectiones
 in pede bis ad minimum in anno institutæ: & quan-
 do hic affectus ex suppressione hæmorrhagiæ saluta-
 ris originem & ortum duxit, adhuc spes quædam ad-
 est, si tales hæmorrhagiæ restituantur & sic Patientes
 in suppressione mensium & hæmorrhoidum optimè se-
 gerunt, & animi gathemata evitanda sunt. Profi-
 cijunt & adhiberi debent resolventia cephalica salino-
 gna &c. tum in forma liquida & solida tum in tum
 extra paroxysmum.

§. XV.

In & extra Paroxysmum clysteres fortiores appli-
 centur, diluunt enim, & intestina ad excretionem sti-
 mulant. Parantur ex emollientibus, cephalicis,
 acrioribus, e. g. rad. arist. rot. alth. helen. cent. min.
 rosmar. chamædr. organ. rut. Fl. lil. convall. stoech.
 arab. lavend. fol. fenn. sem. pulp. colocynth &c. Post
 coctionem addatur elect. hier. picr. cum agaric. be-
 nediçt. laxativ. ol. succin. rut. sal. gemm. nota: in
 clysteribus hoc notandum est, ut pauca in quanti-
 tate

tate injiciantur, ne statim iterum effluant, sed per aliquod temporis spatium retineri queant. Si enim hic liquor minori quantitate applicatus, mox rejicitur, inter mala omnia enarrandum est, resolutionem enim nervorum indicare solet. Plura adhuc addere possemus, quæ ad apoplexiæ curationem & præsevationem petita ex fonte pharmaceutico, diætetico necessaria essent, cùm verò jam dum quædam tacta sint & spatium temporis chartæque angustia prohibeat, proindè concludimus nostram Dissertationem & imponimus

F I N E M.



facta indicantur, et facta rectam effluant, sed per
 ad hoc tempore spatium rectam ducunt. Si enim
 hic signum minus quatuor applicatas, mox resti-
 cutur, inter mala omnia gratitudam est, telonio-
 rem enim novem indicat. Paraphrasia addere
 potest, que ad prophetam gratitudinem & prae-
 terea perit ex tunc phariseis, diacris
 necessaria esse, cum vero iam dum quidam facta
 hic & spatium temporis charactere angustis prohi-
 beat, prout concludimus nostram Diller-
 rationem & imponimus

F I N I S

